Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8337
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

cipue gaudet. Sed si ad alterius cogitatio deriuata
fuit per quam utile reputur
Macrobius saturnalium libro ii. ca. xviii. Ex auctoritate
publii Ita amicum habeas ut posse fieri hunc in-
imicum putes
Auctor libri qui dicitur facetus. ca. vi.
Fraude sed est enim calidus omnis homo.

De amicorum constantia et inconstantia. ca. xiiii.

Salomon in prouerbiis. ca. xviii. Occasiones querit
qui discedere uult ab amico. Idem xviii. capitulo
diuitie addunt amicos plurimos. A paupere autem
et hi quos habet separantur.
Isocrates in exortationibus. ca. primo. Decet natos sic
subire sic et parentum dilectionis esse heredes
Idem ii. ca. lente quidem fias amicus factus per-
seuerare.
Cronica de nugis philosophorum. ca. viii. S. de periandro
Periandrus corinthius unus de septem sapien-
tibus ait. Amicis et felicibus et infelicibus
esto.
Aristotiles ethicorum libro viii. ca. iiii. Propter utile existen-
tes amici cum conferente dissoluuntur. Sola bonorum
amicitia intransmutabilis est. loca non dissoluunt
amicitiam simpliciter sed operationem. Idem ix. ca. Ma-
li firmum quod non habent. neque enim sibi ipsis fiunt
amici congaudentes animae malitia.
Ihesus filius sirach in ecclesiastico. ca. vi. Amicus si
permanserit fixus erit tibi coequalis et in dome-
sticis tuis fiducialiter aget. Idem xxii. ca. ad
amicum et si produxeris gladium ne desperes. Est
enim regressus ad amicum. Fidem possidere cum amico
In paupertate illius, et in bonis illius leteris. In
tempore tribulationis illius permaneas fidelis.
non in hereditate illius sis coheres.
Tullius de officiis. libro primo. ca. xxii. Beniuolen-
tiam non adolescentulorum more ardore quodam
amoris sed stabilitate potius et constantia
iudicamus. Idem rhetor. de arte noue. lib. v.
ca. x. Quos fortunis alicuius inducit amicitia eius
consecuti sunt, hi simul ac cum fortuna dilapsa
est deuolant omnes. Idem de fine bonorum
et malorum. libro primo. Si utilitas amicitiam
constituet, tollet eandem. Idem de amicitia. In
uita tyrannorum, nulla fides, nulla caritas, nul-
la stabilis beniuolentie potest esse fiducia.
omnia semper suspecta atque sollicita. Nullus
locus amicitie est. Quis enim eum aut diligat
quem metuit, aut eum a quo se metui putat. Co-

lunt tamen simulatione amicitie dumtaxat ad tempus
Vide supra.
Ouidius de tristibus. lib. primo. epistola viii.
Donec eris felix multos numerabis amicos.
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Idem epistola iiii.
Scilicet ut fuluum spectatur ignibus aurum
Tempore sic duro est inspicienda fides.
Dum iuuat et uidet uultu fortuna sereno
Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt, nec noscitur usquam
agminibus comitum qui modo cinctus erat.
Idem de ponto. libro ii. epistola iii.
Diligitur nemo nisi cui fortuna secunda est,
Que simul intonuit, proxima queque fugat.
Idem epistola vi.
Turpe erit in miseris ueteri tibi rebus amico
Auxilium nulla parte tulisse tuum.
Turpe sequi casum fortune, et cedere amicum
Et nisi felix esse negare suum.
Quintilianus declamatione prima declamatione. Cum propter pecunias
ames, idem amoris et spei finis est.
Seneca epistolarum ad lucillum. libro i. epistola prima
Qui utilitatis causa assumptus est, tamdiu placebit
quamdiu utilis erit. Idem libro vi. epistola vi. et
fi. Est quidem supinus ac negligens qui in amici me-
moriam ab aliqua regione mouetur.
Luchanus libro viii.
Dat penas laudata fides cum sustinet inquit
Quos fortuna premit.
Aduersis non deesse decet.
Valerius maximus. lib. iii. ti. de constantia. Centurio
quidam diui augusti. Cum antoniano bello sepe-
nume excellentes pugnas edidisset, impulsis ho-
stium insidiis circumuentus ad antonium alexa-
driam perductus. Interrogatusque quid de eo statui
deberet, iugulari me iube, quia non salutis bene-
ficio neque mortis supplicio adduci possum, ut
aut Cesaris miles desinam aut tuus esse incipiam.
Ceterum quo constantius uitam contempsit, et
facilius impetrauit. Antonius enim uirtuti
eius incolumitatem tribuit.
Marcialis cochus. libro undique suscepto. ca. vi.
Nescit amor uehemens ad queque pericula rupi.
Boetius de consolatione. libro ii. ca. xv. Amicorum
fidelium metas aspera horribilisque fortuna detexit.
Hec tibi certos sodalium uultus ambiguosque
secreuit. Idem libro iii. ca. viii. Quem felicitas
amicum facit, infortunium faciet inimicum.
Cassiodorus epistolarum. libro x. epistola iii. Amicitia